Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id370891082/1
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft



Rep. LXII^A. 2. no. 62.

15/825

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id370891082/2
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

157

MAGNIFICVS
Academiæ Francofurtanæ
RECTOR
Illuſtris & Generoſus Dn.
DN.
FERDINANDVS
LIBER BARO A BIBERSTEIN IN FORST ET PFORTEN. &c.

PRORECTORE

V. CL. Dn. M.

DAVIDE ORIGANO MAthematum Profeſſore publico

Ad exequias

adoleſcentis doctiſsimi

ELIÆ EBERTI

Viri reverendi & clariſsimi

DN.

D. IACOBI EBERTI PROFESſoris Theologi filij, inopinata morte ſublati

Cohoneſtandas

d. XVII. Iunij, *Anno* 1603.

Cives Academicos invitat.

Typis Friderici Hartmanni.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id370891082/3
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Rector Academiæ Francofurtanæ.

QVod plæriſq; voluptuoſum tempus fecit aëris amœnitas; nobis luctuoſum reddit hodierna (ſi modò illud nomen meretur) ſolennitas. Deducendum ſcilicet nobis eſt funus ELIÆ EBERTI, Viri Reverendi & Excellentiſſimi DN. D. IACOBI EBERTI Theologiæ Profeſſoris celeberrimi filius: Adoleſcens ſpe eximia, ſive ortus ſpectetur præclarus, ſive indoles minimè vulgaris. Ecquis enim eſt Sanctæ linguæ ac doctrinæ ſtudioſus non modò in hac ſed in omnibus Germaniæ, atq; adeò cujuscunque nationis benè conſtitutis Academijs, cui non Eberti nomen innotuerit? Elias verò divina benignitate & parentum fideli ductu

ab ipſis incunabulis veræ pietatis & eruditionis amorem imbibit; quem accreſcente ætate cunctis animi viribus explere adniſus eſt; artium liberalium fundamenta jaciens, non ſolum in ſchola patria, ſed & in alijs; præſertim in ea, quæ eſt in laudatiſsima Sileſiæ metropoli Vratiſlavia: Unde reverſus talem ſe præſtitit, ut ad ſublimiora Academiæ ſtudia exquiſito parentis judicio admitteretur: in quibus ita verſatus eſt, ut freno potius indigeret quàm calcaribus. Spes omninò erat, fore ut talis viri talis ſoboles doctrina ſua adornaret noſtram Academiam, præſidium afferret pluribus: Verùm hæc omnis expectatio proh dolor in fumum abijt. Animum enim ad ſtudia etiam abſtruſiora alacrem, & fortè nimis attentum intra anni ſpacium corporis imbecillitas remorata eſt; quod atræ bili usque adeò ſuccubuit ut ingenij vigor omnis langueſceret, ac paullatim moleſtiſsimus ac difficilimus melancholiæ morbus vires acquireret: qui aſsidua parentum ac medicorum cura frangi non potuit, ſed vel impatientiâ caloris, qui nunc temporis aſſuetos fines transgreditur, vel animi deliquio, quod non paucos enecat; nudiustertius intra horam quar-

tam

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id370891082/6
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

tam & quintam veſpertinam, inſcijs parentibus, adoleſcentem optimum immatura morte ſuſtulit. Perpendenda nobis hic tria potiſsimùm occurrunt: Eliæ mors inopinata: parentum triſtitia parum uſitata: omnium denique noſtrum vita varijs fati incurſibus expoſita. Inopinatam Eliæ mortem divinæ voluntati meritò relinquimus; cui curæ ſunt homines fracti corde & contriti ſpiritu: qui multos ſalvat crucis igne.

Eximiorum parentum tam acerba afflictio meritò animos conſternit, & in varias cogitationes diſtrahit: Verùm quæ eſt Excellentiſsimi Dn. D. Eberti non ſolum eruditio præclara, ſed & ſingularis pietas & animi firmitas; feret ipſe inſultus hoſce animo magno & Chriſtiano: & quod hactenus mentis infractæ monſtravit iter, nunc potiſsimum præibit alijs. Poſsit forſan in memoriam ipſi revocari illud D. Bernhardi: conſideranti quid ſis, occurret homo repletus multis miſerijs corporis & cordis: miſerijs dum dormit: miſerijs dum vigilat: miſerijs quoquo ſe vertit.

Nemo quippe ex omnibus filijs Adæ ſine la-

 bore

bore hic vivit, nemo ſine dolore. Dolorem parturientis clamor; dolorem prolis fletus indicat & vagitus: labor in actionibus, dolor in paſſionibus. Grave omnino jugum mortalibus impoſitum eſt; qui ante exitum matres miſeras onerant, in exitu lacerant, poſt exitum varijs modis excruciant: nec quicquam ad torquendum miſellas matres faciunt reliquum. Hæc & multa alia renovari poterant parentum mœſtiſſimorum animis: verùm quæ eſt ipſorum conſtantia admirabilis; triſtiſſima hæc patientiſſimè tolerabunt: atq; ita nobis omnibus ad ſucceſſuram huius mundi vitam ſine magnis animi cruciamentis ſufferendam facem præferent.

Enimverò flagrante hoc ſolis æſtu, vivimus nos in fonte curarum, flumine lacrymarum, mari miſeriarum: unde laudatiſſimus omnium hominū vates regius magna & queribunda voce ſe aquis obrui clamitat, cum omnibus ijs, qui Chriſti navem conſcenderunt, & in hoc lemurum ac larvarum domicilio, quo ſe cunq; vertunt, nihil niſi mœrorum turbines, calamitatum fremitus, anxietatum mugitus ſibi obvios ſentiunt; & quod merito deploramus, multi eam miſeriam eſſe putant, ſi non ſint miſeri; & vivis cadaveribus orcum impleant. No-

ſtrum

ſtrum ſanè eſt eò maximè contendere ut à miſeria noſtra ad Dei miſericordiam, à labore ad quietem, à calamitate ad felicitatem tranſeamus: nobisq; diſpliceat quod ſumus ut poſſimus eſſe quod non ſumus. Quemadmodum autem de noſtra fragilitate non abs re dolemus; & ad Deum hominesq; nobis conciliandos contendimus: ſic Eliam hunc, Domino Deo, cuius nomen geſtat committimus: utq; ſacroſanctum Numen felicem reſurrectionem ipſi largiatur oramus: Vos autem cives Academiæ laudatiſſimi, ut ad leniendum dolorem acerbiſſimū parentum præſtantiſſimorum frequentes conveniatis; & à nobis expectetis animum benè merendi cupidiſſimum rogamus. Valete.

C. T.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id370891082/9
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

1 1. Sep 1980

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

misc. 90 digitalisiert	PPN:	31969481X

SLUB DRESDEN
3 0602183

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id370891082/11
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id370891082/12
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft